

Q. D. B. V!
SELECTARVM
EX
VNIVERSA PHILOSOPHIA
POSITIONVM CENTVRIA

QVAM
DEI ET SVPERIORVM PERMISSV

PRÆSIDE
DN. M. JO. JAC. MÜLLERO,
FAC. PHILOS. ADJVNCTO
IN AVDITORIO PHILOSOPHORVM

PUBLICÆ VENTILATIONI EXPONET
ABITVRIENS

JOH. FRIDERICVS DE Ritter/
EQV. SAX.

AVTOR RESPONDENS.

AD DIEM XVI. NOVEMBR.
clō lōc LXXXVII.

J E N Æ,
Typis JOH. DAV. WERTHERL

Phil. diss. A
92, 46

178 84 A. 202 (46)

SEIT CARUM
UNIVERSA PHILOSOPHIA
POSITIONVM CENAVIA
DEI ET CETERORVM PERMISSA
PRAEDIC
DN. M. JO. JAC. MULLERO
TAC. PHLOS. ADHYNGTO
IN AVIDITONIO PHILOSOPHYVM



JOH. FREDERICVS DE STEIN
TOM. SAX.
AVTOR RESPONDENS
HAB. BIER. X. L. NOVEMBER.
GIESSEN. 1771.

J. W. B.
J. W. B. WERTHERI



D. O. M. A.

Væ primum uni atque alteri paginae includi posse videbantur, positiones, eas, ne quæ dicimus absque fundamento dicta esse existimantur, paulò longiori filò pertextasemus, adjectis passim, quibus & sententia nostra probari & opposita convelli possit. Verum extemporaneæ hæ chartæ sunt, neque non in finem conscriptæ, quàm ut in diversis disciplinis Philosophicis publici exercitii præter quædam mihi esset occasio. Quod ut sanè nemini Bonorum improbabitur, ita de æquoribus conatus nostri iudicibus non diffido.

Sic itaque

POSITIONVM DECAS

I.

DE PHILOSOPHIA
IN GENERE.

I. Philosophiæ longè olim major, quam hodie erat auctoritas. Præter enim acceptionem *Aristotelis I. Met. 8.*

A 2

alio-

aliorumque, qui eam scientiam omnium planè rerum salutabant, vid. Cicero l. 3. Tuscul. it. 2. & 5. Albert. Magn. Tract. 1. sue Logica cap. 11. Talis aestimabatur, quæ soli Theologiæ contradistingvi, eamque immediatè sequi posset. Quò spectat definitio Thomæ de Aquino Tract. 1. Summul. Logic. folio 1. Vid. Lansf. in comment. de Acad. p. 25. Hodie verò longè in alium statum secessit. Non tamen negligenda, utpote quæ via ad alias facultates merito habetur.

II. Variè Philosophia à variis definitur, vid. præter alios Keckermannus præcognitorum Philosophia l. 1. Cap. 1. Nobis eam delineare placet per habitum mentis cognoscenda & agenda. Non enim arridet definitionem, quod sit cognitio rerum divinarum & humanarum, quia non potest exprimi, quænam in Philosophia divina & humana intelligi debeant, adeoque per se dictum antea assignatum tanquam distinctum non meliùs declaratur.

III. Philosophia non totius essentialis, sed intellectus potius nomen sortitur, quia cognitio omnium essentiarum illi, qui Philosophi non esse gaudere vult, omnino necesse est. Quamvis & integralis nomen ei attribui, non eamus incicias.

IV. Philosophiæ cum Theologia magna intercedit. His enim hæc à Philosophis & Theologis & Philosophis jam dudum est si-
scilicet in Philos.
Job. p. 1. quest. gener. de usu Philosophiæ in Theol. quæquæ Theologiæ mysteria sunt, Philosophia nunquam negat, sed nescit.

V. Ultra autem ex Philosophiæ partibus Theoretica scilicet & Practica altera præstet, in dubium hæctenus vocatum est; & quidem saltem non omnes, ex quibus videatur

tur

tur *Zeidl. in p[re]fat. analys. post. p[re]missa*, Theoreticæ pal-
mam attribuerunt. Quæ tamen cum Practicæ subjaceat,
hæcquè longè præclariore fortitur effectus, fit ut Theo-
reticæ nobis semper præferatur. Scholasticorum enim
argumentum ex Salvatoris verbis, quibus ipse Mariam
optimum elegisse dixerat, petitur, omninò nullum. Vid.
B. Jac. Thomaf. annot. ad Tab. pract. 6. lin. 15. Antiquorum au-
tem Philosophorum hypothese, quod per contemplatio-
nem ad DEI essentiam appropinquari possit, sine dubio fal-
sam esse putat. *Dn. D. Thomaf. in Jurispr. divina
diss. proëm. §. 37. Et cap. 1. §. 123. Et seqq.*

VI. Gentiles sanam Philosophiam habere potuis-
se, imò habuisse asserendum non est. Quia enim
Philosophica ex sacra Scriptura non potest derivari,
lucem tamen majorem præsertim in practicis illa accen-
dere potest.

VII. Methodum in Philosophia
p[ro]plicem effinxerunt
secuti sunt. Quorum lententia

Secundum rerum naturam enim pro-
gressum, quam cum in Theoreticis in gra-
re perspicerent, Syntheticam eisdem
Analyticam autem Philosophiæ Practicæ

Vid. *Dn. Zeidl.*

Philos. pr.

and. in. vlti.

hilominus rationem intentionis principii
am. Quapropter ratio utriusque Metho, non tam in
progressu à tota parte, aut ab his ad aliud, sed potius
in esse propius & remans quoad ipsam essentiam collo-
canda videtur, quâ de re solidè agit. *Dn. D. Alberti in
Colleg.*

13

Colleg. Logic. manuscripto ad Tabulam Steirii de Me-
tbodo.

IIX. Modum quo communiter Philosophia tracta-
tur minimè approbo. Segregantur enim à se invicem
disciplinæ, ita ut vix earum usus cognitu possibilis sit. Imò
quotidiè novæ finguntur soli speculationi propriæ. Cum
tamen ad usum vitæ humanæ *γῶσις, πραξις & πολιτις* ad se
invicem referri, unaque ex alterâ solidè demonstrari
debeat.

IX. Terminis quoque magis studetur, quam ipsi es-
sentia rerum & veritati, ita ut quamvis omnes disciplinæ
ad praxin spectent, earum tamen nil nisi cortex ferè pro-
poni soleat. Antiquorum Doctorum autoritatem saltem
obtinere cupiunt Philosophorum nomine incedentes.
Manet his quidem sempiterna laus ut primis Philosophi-
am in ordinem redigentibus, ac omninò melius est eo-
rum sententiæ adherere, quam dubiosè in tenebris vaga-
ri. Intellectus ratio nobis meliorem monstrat
viam sine dubio præ iis, quæ opinione ac chartâ scriptæ so-
lum nituntur, ambabus manibus eam amplecti.

X. Nihil solido sciendi modo nisi
quam contradictiones, quæ apud ipsos
runt. Nimirum si aliqua pars doctri-
altera ex libris hanc
æquale esse hanc

Philosophus
qui ex principiis firmis & suis in scriptis
suis etiam minimas conclusiones deducere semper alla-
boravit

II. META-

II. METAPHYSICÆ.

I.

Metaphysicam pro Theologiâ naturali habuit *Aristoteles*, quique eidem Pnevumaticam tanquam partem specialem adjunxerunt. Hâc in modum peculiaris disciplinæ traditâ, tanquam nudum Lexicon Philosophicum, Metaphysica haberi cœpit. *V. Piccartus C. 29. Isagog. p. 201.* quique allegati sunt passim apud *B. Thomasium in hist. Metaphys. erotem. suis annexa.* Quamvis autem usui omnium disciplinarum conveniat, nihilominus objecto suo proprio ut alia justa scientia prædita est.

II. Scientiæ nomine Metaphysica ab omnibus ferè salutatur. Sed malo cum *Svareziô disp. Metaphys. I. sect. I.* eam sapientiæ elogio insignire, utpote habitus, qui ei præcipuè competit. Tantùm enim abest, ut Scientia cum sapientiâ concurrere aut illius genus esse possit, quin se potius ut gradus solum ad illam omnium sanè eruditorum consensu habeat. *Thomas. tab. præct. 38.*

III. Quamvis illud præcipuè à Metaphysicò considerandum sit, quod ab omni materiâ sensibili abstractum est. Nihilominus tamen fit, ut occurrant in quibus abstractio ista locum non inveniat. Sic v. g. quando docetur de materia, non potest verè quis sibi imaginari illam sine ope sensuum, quod etiam obtinere videtur in potentiâ naturali. Imò Doctores occasionem inde sibi sumunt digrediendi ad varia disciplinarum genera, propter applicationem & usum auditorum.

IV. *Aliquid* nunquam, nec ratione modi significandi, nec rei significatæ *entis* Synonymum est, sicut & oppositum ejus *nihil cum non ente* minimè convenit. Si enim idem est aliquid ac habens aliquam quidditatem (ex quo
Prückner.

Prückner. compend. Metaphys. part. gener. Cap. I. dubiò 2.
Synonymiam elicere vult) ex usu loquendi modo laxius
Ente sumitur, modo strictius, ut præter ens aliquam par-
ticularitatem importet: nihil verò ad universalitatem re-
spicit, cum non ens particularitatem solum denotet. *Dr.*
Læberus compend. Metaphys. C. 2. §. 11.

V. Rectius dicitur ens est id, quod actu existit, quam
id, quod est citra mentis operationem. Præterquam enim
quod entia possibilea omnibus destituantur prædicatis,
certè dantur quædam, quæ sunt citra mentis operationem,
minimè tamen entia.

VI. Ens rationis competere brutis vulgò negatum
fuit, ex hòc, quod bruta destituantur ratione, sed funda-
mentum minus firmum esse videtur. Nisi enim me fal-
lit iudicium, rationis vox non præcisè hic sumitur qua-
tenus contradistinguitur sensibus, sed potius paulò latius,
quatenus opponitur realitati & existentia: nam per phan-
tasiam imaginationes elici posse, imò deberi constat. Ac-
ceptio ergò rei minimè probanda venit ex voce, sed viden-
dum potius, an hæc cum illa rectè congruat.

VII. Principium cognoscendi primum vulgò ven-
ditatur hoc: *impossibile est idem simul esse & non esse*: Dici-
turque quod ex eò hoc: *Quodlibet est vel non est*: deduci
ac demonstrari debeat vid. *Svarez. disp. Metaphys. 3. sect. 3.*
Ebelius disp. Metaphys. I. §. 21. & 22. Mihi autem inver-
tenda potius res videtur (nam principia hæc duo esse u-
num idemq;, aperte falsum, nec ad ostendendū longa argu-
mentorū farragine hic opus est) Principium enim quod
vulgò secundum appellant affirmativum & constitutivum
est, ex quo deinde negativum profluit & asseritur. Ut ta-
ceam illud ex principiò: *Impossibile est idem simul esse
& non esse*: ne quidem à posteriori probari posse.

IX. Ase-

IIX. Afferimus potentiam obedientialem in quolibet subjecto ad quodlibet, quod non implicat: Deus enim immensa gaudet potentia, ac creatura ad ejus voluntatem exequendam plenissime capax est. Vid. hanc quaestionem ventilatam in *Thes. select. Metaphys. Dn. Mag. Heunisch. thes. V.*

IX. Quaternarium causarum numerum non consuetudine solum sed & jure retinemus, cum omnia ad illum indubitato redigi possint. Vid. si placet *Ebelium Aphorism. Metaphys. disp. 9. Thes. 26. & seqq.* Inconcinnè itaque eodem modo à cæteris causis differentes tres materiae species ad summam causarum divisionem referuntur, cum tamen, quia membra dividenda sibi invicem debent esse opposita, rectius per subdivisionem explicentur.

X. Et hac ex ratione *causam impulsivam tam internam quam externam* causae efficienti assignamus. Multi quidem docti Viri inveniuntur ad formalem illam, hanc ad finalem referentes. Ast quamvis negare non possimus, utramque per plura causarum genera vagari, nihilominus tamen causalitas ejus activum quoddam, ac propterea causae efficientis est, vid. *Dn. D. Veltbem institut. Metaphys. part. 1. C. 32. not. 5. & seqq. Dn. Schmid. Metaphys. part. 3. §. 10. not. b. c. & d.*

III. LOGICÆ.

I. **L**ogica modo dici potest ars, in quantum ut disciplina effectiva consideratur. Vid. *Magnif. hujus Academiae Rect. Dn. D. Fridem. Bechmannus Log. lib. 1. cap. 1. §. 2. 4. & seq.* modo Scientia, quatenus conditiones scientiae, subjectum puta, principia & affectiones ei insunt. *Dn. Schmid. in Log. Positiv. §. 1. not. 6.*

B

II. Ita

II. Ita exponenda sunt prædicabilia, ne essentialium eorum explicandæ opera detur potius, quam usui fini Logicæ æquipollenti. Ideoque huc relata nullius pretii est distinctio, quam Scholastici *de universalibus ante multa, in multis, & post multa* effinxerunt.

III. Accidens inseparabile differt quidem à proprio, quod soli speciei per se non competat, an autem definitio accidentis vulgaris ad illud quadret? dubito, quia enim absque subjecto esse non potest, rectius essentialiale consecutum dicitur.

IV. Ad quamnam classem propositionum referendæ sint illæ, quæ de Salvatore nostro personaliter enunciantur, ut: *Deus est homo, homo est Deus*, & aliæ his similes, variè à variis definitum est. Quidam eadem figuratas appellaverunt. Sed cum illis propter inexistentem talibus propositionibus reciprocationem, quæ tamen figuratis deest, eas accensere non possimus, meritò nobis vocantur inusitatæ, more multorum non solum Philosophorum sed & Theologorum, uti egregiè demonstravit *Dn. D. Alberti in Colleg. manuscriptò Logicò ad tab. Stierii part. I. lib. 2. Cap. V.*

V. Quartam figuram, quæ vulgò Galenica vocatur, non quidem esse necessariam, cum tribus ordinariis contenti esse possimus, rectè dicitur, eandem tamen contradictum de Omni & Nullo peccare, naturæque Logicæ adversari mihi non arridet. Posse enim vi illius medi termini, qui primò prædicatur, postea autem subjicitur, aliquid demonstrari, inductio testari valet.

VI. Quamvis communi Logicorum consensu Analytica prius quàm Dialectica tractetur, nihilominus hanc propter faciliorem ejus cognitionum illi in ordine expositionis præferendam esse, ipsa veritas rei svadere videtur.

Vid.

Vid. *Dn. D. Bechmann. cit. loc. §. 12. & Dn. Schmid. in part. Log. I.*

VII. Testimonium divinum non ad Topicam, ut vulgus Logicorum facere solet, *Stierius part. post. tract. 2. Cap. 7. Prückner. Compendii Logici part. propr. tract. 2. cap. 2. Loco 7.* sed ad Apodicticam referendum est, cum non gignat opinionem, sed fidem omni opinione certio- rem, ac in orthodoxa Theologia maximum principium sit *αὐτῆς ἰσχυρίας. Dn. D. Alberti ad cit. loc. cap. 7.* Lex naturæ ve- rò perinde est an sub testimoniò divinò contineatur, vel an similiter apodixi, ut aliàs fieri solet, assignetur. Vid. *ia sentit Prückner. cit. loc. quest. 2.*

IIIX. Forma in demonstratione inter causas pri- um locum obtinet. Cæteræ causæ propter eam solùm hibentur, ejusque rationem ferè subeunt, quando scil. agitur, ut essentiæ rerum demonstrantur. Quomodo tem id fiat, vid. *Dn. Zeidler. analys. post. lib. 3. cap. I. seqq.*

IX. Demonstrationem etiam circa singularia, con- a quod communiter Logici docent, vid. præter alios *tierius Loc. part. propr. tract. 2. cap. 4.* occupari, quate- nus scil. illa sunt caduca & mobilia, sed potius perpe- tua, extra scrupulum ullum positum putamus: ac ideò non erat necesse quibusdam species monadicas effingere illas res, quæ ut individua locum in disciplinis suis inveni- ren poterant.

X. V Methodi & ordinis notiones quamvis commu- niter confundi soleant, nihilominus tamen totò cœlò dif- ferunt, ut hic collocet & disponat tantum, illa demonstret ac scientiam efficiat, quod præter alios Autores *ex Aristo- tele lib. I. de animâ Cap. II.* colligunt. Vid. *Zeidler. analys. post. p. 3. cap. II. §. 2. & seqq.* ubi etiam pro suâ sententiâ

allegat *Eustratium in commentario 2. post. analyt. ut & Simplicium comment. in I. Phys.* consulatur etiam *Dn. Praeses disp. Mor. 2. thes. 32. & diff. Pol. I. th. 21.*

IV. PHYSICÆ.

I.

Cœlum & corpora cœlestia sub Physicæ objecto continentur. Quamvis veteres quidam ex hypothesi, quod planè incorruptibilia essent, ad astrologiam ea referrent, cujus opinionis etiã fuisse Aristoteles dicitur. Vid. *Fabianus Hippius problem. Phys. p. 76.* Quiq; eum allegat *B. Thomas in Phys. C. I. quest. 3. & seqq. & in historiã variã fortun. Metaphysica erotematibus Metaphysicis annexa §. 4. & seqq.*

II. Causas efficientes universales corpora naturalia Deum & Cœlum deprædicant, attamen non ita, ut eodem modo à causa particulari determinentur, secundum sententiam multorum, vid. *Stabl. in tab. Metaphys. II. n. 7. fol. 16.* sed ut ille ex liberrimã suã voluntate procreet certam speciem effectus, hujus autem potentia ad concurrendum per causam particularem moveatur. *Thomas. Phys. cap. 3. quest. 12. & seq.*

III. Quicquid tandem *Sperlingius* aliique Ant-Aristotelici contra materiam primam Peripateticorum proferunt, manet nihilominus ea indubitata, ac per ipsos hostes suos materiam simplicem puram, cujus essentiam nulla ingrediatur forma, agnoscens, stabilitur. Vid. *Thomas. cit. loc. Cap. V. quest. 18. & seq.*

IV. Casus & fortuna ex numero causarum eorum quæ fiunt planè exterminantur. *Priücknerus Compend. Phys. part. generali c. 2. præcep. 1. §. 17. & seq.* quod, quamvis locum habeant in iis quæ rarò eveniunt, agantur autem

autem

autem & instituantur alicujus finis gratia, nihil tamen ob-
stet, quin illorum effectus ad causam per se cum cujus
actione fuere conjuncti, redigantur.

V. Ignis fatuus (qui est verus ignis) generatur ex
fumò, ex inferis inflammato, non obstante, quod hinc &
inde de naturâ fumi obvertitur. Eum enim ita compa-
ratum esse, ut exardescere possit, quotidiana experientia
loquitur.

VI. Quamvis non possit negari, materiam metallo-
rum, ac similiter lapidum, esse exhalationem, horum qui-
dem siccam, istorum verò humidam, vera tamen etiam vi-
detur sententia, quæ eam tria principia Spagyricorum,
sal, sulphur & Mercurium esse asseverat, secundum conci-
liationem *B. Thomasi Phys. cap. 33. quest. 1. & seq.*

VII. Ridiculum videtur assertum quorundam, plan-
tas sensu gaudere ideò, quod arbor primum ictum ferat
altius quàm secundum. Hoc enim partim in arboribus debescen-
ti, partim majori duritie interioris arboris materiæ tribu-
endum mihi videtur.

LIX. Unam tantum in homine animam reperiri,
tamque in facultates vegetabilem, sensitivam & rationa-
lem distingvi, nullam absurditatem spirat. Non obstante,
quod tales facultates in brutis & Plantis separatim ac uni-
cæ reperiantur. Vid. pro nostrâ sententiâ *B. Thomasi Phys.*
C. 43. per totum

IX. Animam humanam non uni solùm parti cor-
poris, quam alii cor, alii cerebrum, imò stomachum Hel-
montius putarunt, alligatam esse, sed in toto corpore ut
quælibet forma substantialis tota in toto formato operari
verius est. Vid. modò citatus *Thomasi Phys. cap. 45.*

X. Nec intellectum nec voluntatem solam impe-
riò pollere, ipsa veritas svadet: divisum enim illud inter

hanc & illum est, partim consulendi & dictandi, partim exequendi facultatibus fungentes. Vid. *Diss. que in hac Salana sub Prasidio Dn. Staenderi Prof. in Illust. Augusteò quod Leucopetra est Publici celebratissimi*, de Rationis ad solium natæ imperio, à generoso Autore ante aliquot annos habita est.

V. MATHEMATICÆ.

I.

MAthesis, ut ut à multis neglecta, inter præstantissimas disciplinas referenda venit, non solum quod firmissimis demonstrationibus præ omnibus aliis gaudeat, sed & quod cæteras mirum in modum informare ac illustrare possit.

II. Angulus non ideò vocatur major quò Lineæ ejus sunt longiores, sed quo à se invicem magis distinctus est, ac plus sub se comprehendit. Quod principium in aliis etiam disciplinis applicatis applicandis obtinet.

III. An Astrologia de futuris aliquid deque statu hominum judicare valeat, multis hæc hactenus ortæ sunt: quamvis autem demus, astra quædam aliquid circa homines disponere posse, sicut omnino sunt causa remota morum, inclinant tamen non necessitant, Deus autem seorsum iterum igit.

IV. Valdè autem vitamus, an talia ac multitudo hominum in se spectata talium prædictionum objectum esse possint, rationes enim, propter quas aliquam potentiam in homines singulos iis asseveravimus, in his planè deficient.

V. Adhuc nondum probatum est à *Copernico* ejusque asseclis, immotò manente cœlò ejusque stellis, terram moveri

moveri

moveri; obstante imprimis hujus & illius materia. Vid. varias hac de re opiniones recensens *Bartschius in Planispheriô stellarum. C. I. p. 21. & seq.*

VI. Ad nullam aliam Matheseos partem scientiæ & artes ejus præclariori modô, quam ad Architectonicam concurrere videntur.

VII. Climatum ut ut eorum longè minor hodie quam olim usus sit, nihilominus tamen propter dignoscendas terrarum naturas doctrina eorum non planè negligenda est.

IX. Ordini naturali adversantur ii, qui Chartas Geographicas seu Mappas conficientes non semper orientem à dextra, occasum à læva, Septentrionem superiori parte, inferiori meridiem tenent, interim quamvis hoc facile cognitu sit, nihilominus tali in passu multi quotidie peccant.

IX. Quamvis moderna Hungaria eadem cum antiqua Pannonia esse credatur, maximè diversos tamen terminos cum hac agnoscit, uti observavit hoc *Dn. Cellarius in præf. Geograph. antiquæ ac inspect. hist. demonstrat.*

X. Eodem modô sese habet cum veteri Lusitania & Portugallia moderna. Hæc enim hodiè partim laxior ut ultra Durium ad Minium usque flumen propagata, utque Anæripam transgrediens, partim arctior exclusâ quâdam veteris Castellæ parte & Extra madura Hispanica meritò censetur, rectè judicante modo laudatò *Dn. Cellariò Geographia novæ C. I. init.*

VI. MORALES.

I.
Philosophiam Practicam habitum activum esse, nemo qui primis labris ejus principia gustavit, ut puto, negabit.

bit. Interim tamen demonstrationes certas & conclusiones scientificas in eâ dari, asserto huic non repugnat. Vid. de certitudine in practicis præter alios *Keckermann. Syst. Log. tract. I. sect. 2. cap. 14. Rachelius exam. probab. Jesuit. cap. 7. Dn. Puffend. de J. N. & G. l. 1. c. 2. ut & Dn. Bæclerus comment. in Grot. præf. p. 27. præsertim autem Dn. Præses diff. Moral. II. §. 8. & seq.*

II. Ingens in Philosophia Practica ritè dispescenda tractandaque reperitur dissensus. Nobis eam dispescere placet in *part. priorem*, (in species enim divisionem hic locum non habere existimant multi celeberrimi Viri. vid. *Aristot. ipse l. 1. ad Nicomach. c. 2. aliisq; in locis. B. Thomas in tab. pract. 2. prior. iisq; annotationibus subjectis. Dn. Præses diff. Moral. I. à §. 9. usque ad 29. quicq; allegati it. in dissertatione nostrâ de Principe justè utilitatem suam querente præcog. §. 3. not. 5.) Et *bicam*, agentem de *sine*, & *posteriorem*, *Politicam*, *subjectum* (*civitatem*) & *media* (*leges*) demonstrantem: modo distincto, ne quod huic parti debetur in alterâ locum inveniat.*

III. Circumstantiæ morales actui morali non respondent ut nuda accidentia, sed iis tanquam positionibus ac cellulis ipsa moralitas inclusa est. Vid. de naturâ earum *tota dissertatio Moral. IV. Dn. Præf.* Minus rectè ergò dicitur, quod sublatis circumstantiis moralitas actus mutari possit, non enim tam illa, postquam una saltem vel altera circumstantia mutata est, quàm ipse actus interit, utpote, qui ex circumstantiis tanquam totum integrale ex suis partibus constat.

IV. Quicquid tandem de primâ Juris naturæ dependentia definiatur, sententia ea, quæ à Deo originem ejus derivat, & pietati convenit, & sanæ rationi analogica est. Vid. *Dn. D. Alberti Compend. Juris Naturæ part I. c. 3. per totum.*

eorum. Neque Deo negant originem juris naturæ adscribendam esse, qui primam regulam moralitatis statuunt ipsam naturam rationalem.

V. Dantur omninò consilia rectæ rationis à præceptis illius distincta, quæque tantum ut hoc v. g. præ illo eligatur, svadent, quomodo autem à LL. distingvantur, Vid. *Thomas. T. P. Ll. n. 4.*

VI. Cogitationes humanæ moralitatem externam ejusdemque effectus non subeunt, quatenus in mente manent, patefactæ autem, si malæ sunt, omninò pro ratione ac debitò modò puniuntur. Vid. *Dn. D. Velthem. Tab. Moral. 24. qu. 2.* Cur enim libera esse deberet intentio utpote actionis fons & principium effectivum.

VII. Conscientiam magis probabilem inter duas occurrentes hominem sequi debere *Azorius* cum multis aliis statuit. Sed annon hoc contrarium est regulæ, quod secundum conscientiam dubiam, pro qua etiam habetur probabilis, nihil planè agendum sit?

IX. Defensio omnis à Philantia sana dirigitur, hæc verò consistit in eò, ut quilibet seipsum legitimò modò ac æqualiter consideratis objectis aliis præferat. Vid. *Dissert. nostræ citat. part. 2. §. 3. & seq.*

IX. Lis adhuc pendet ad quamnam justitiam pœnarum inflictio debeat referri. Ad distributivam pertinere præter alios *Wesenbergius ac Perezius Jcti ad tit. J. & ff. de J. & J.* asserunt, alii ad commutativam, eamque sententiam saltem non omnes fovent; Neutri parti adstipulamur cum *Dn. Preside collegii super Philosophiam Practicam. part. 1. lib. 3. cap. 3.* universali justitiæ ac speciatim mansuetudini, quod hæc virtus ex suâ naturâ circa tales actus occupata sit, assignantes.

X. Quicumque inter summum Bonum æternum &
C rem-

temporale, hocque iterum in Theologicum & Philosophicum vid. *B. Thom. tab. pract. V. num. 2.* distingunt, non possunt improbare Aristotelem. Nam ejus definitio convenit temporali & philosophico, neque Summo Bono descriptioni vitæ æternæ æquipollet; Magis adhuc stringit argumentum quorundam vid. *diff. Dn. Kirckmayer. de S. B.* quod S. B. in fruitione voluptatis animi consistat. Sed respondetur, aliud esse voluptatem animi, aliud bonum, per quod voluptas animi paratur. Illud bonum vocatur summum, quod ita convenit appetitui nostro, ut eum plenè ac perpetuò satiet, in qua satietate consistit vera & summa animi voluptas.

VII. POLITICÆ.

I.

Politica in sinu suo omninò comprehendit Oeconomiam (quam pro peculiari disciplinâ habent *Wendelerius*, aliique multi) illam scil. quæ naturam prudentiæ redolet, & personas domesticas secundum leges rectè agere docet. Quatenus autem hæc vox artem notat rem familiarem benè conservandi & augendi, planè non invenit locum in Practicâ Philosophiâ, sed ad *πολιτικὴν* pertinet. *B. Thom. tab. 1. num. 4. & tab. 29, n. 4 & 2. & annot. 129. tab. 32. num. 6. & 1. annot. 149.*

II. Qui in dispositione Politicæ ejusdemque tractatione occupati sunt, leges methodi non rarò transgrediuntur, suntque in eorum numero etiam ii, qui nostra divisione in subjectum & media utuntur, quod præter alias tribus præsertim notatu dignis confusionibus accidit. Prima est, quando Politicæ immiscentur præcepta Juris Publici imperii nostri, aut etiam Juris Civilis privati, quod tamen

tamen

tamen utrumque separatim & longè aliò modò tractandum est. II. Quando ea, quæ parti posteriori propria sunt, ac personarum in societate viventium ex relatione earum naturæ ad finem propositum officia debita tradunt, statim in priore parte, ubi de constitutione civitatis solùm agitur, effunduntur, quas duas confusiones acutè observavit. *Thom. tab. pract. 32. n. 6. ac 10. nec non annot. 148.* III. Quando pars de legibus tractatur ethicè, legumque origo atque natura, cum tamen ea spectari deberent ut media, quæ finem & subjectum absolutè & separatim hætenus considerata, conjungere hocque ad illum applicare possent. Nec enim aliò modò notio legum in *Philos. pract.* accipitur nec aliter accipi potest, ut ex celeberrimis Scriptoribus liquet. *Thomasius modo laudatus cit. loc. tab. 32. § 51.*

III. Extra societatem nemini in alterum potestas, aut libertas puniendi competit. Hoc tamen assertò minimè in castra *Hobbessii* transimus, hic enim externam facultatem cum morali confundens, statum primævum perpetuum bellum jusque omnium in omnia fingit. Quanquam tantùm absit, ut in totum rejicienda sint ea, quæ in civilibus tradidit, ut potius à multis minus perfectè ejus sententiæ intelligantur. Confutavit tamen eum solidè *Huberus de Jure Civit. lib. 1. c. 3. § 4.*

IV. Jus Naturæ inter nuptias eas solùm prohibet, quæ inter Parentes & liberos, cæterosque ascendentes & descendentes intercedunt. Ratio à priori præcipua est naturalis pudor & reverentia ab his illis debita quam agnoscunt præter *S. August. l. 15. de Civ. Dei c. 16. § Thomam Doctorem Seraphicum 2a 2a quest. 154. art. 9. § in subl. part. 3. quest. 54. art. 3. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 5. § 11. § Pufend. de J. N. & G. l. 6. c. 5. § 32.* nam ut Grotius dicit, natura-

lis fuga quædam commixtionis cum parentibus & ex se-
natis in hominibus reperitur, quæ nunquam interit, ac
longè alia est reverentia quàm illa, quæ aliàs sæpius uxori-
bus ob virtutem aliasque qualitates à maritis exhibetur.
Malè igitur *Domin. à Sotò in distinct. 40. quest. un. art. 3. de
potest. Pap.* aliique ex Pontificiis agunt, qui connubia in gra-
dibus remotioribus promiscuè tam in rectâ quàm collate-
rali lineâ admittunt, referente *Dn. D. Alberti comp. J. N.
p. 2. c. 10. §. 11.*

V. Magni aliàs æstimatur distinctio inter civem
bonum & virum bonum, quod ille sit, qui officia sua ad
civitatis *ἀποτέλεσμα* benè observet, hic qui honestè vivat,
ac per virtutem moralem constituatur. Inde est, ut dicant,
posse eum esse civem bonum, qui v. g. promptè pareat Ma-
gistratui & tamen non sit Vir bonus, si sit lascivus, avarus
&c. Ast stabilità hypothesi, quod & singuli homines & ci-
vitas unum habeant scopum *εὐδαιμονίαν*, honestatem, in-
statum civilem legitimis mediis introducendam, opinio
illa ex se ipsa corrui. Cum enim bonitas non ipsi subje-
cto agenti inhæreat, sed potius ei accidens ejusdemque
finis sit, finem autem Vir bonus absolutè consideratus &
civis bonus unum eundemque agnoscant, propter ean-
dem unitatem tantùm abest, ut vir bonus & civis bonus à
se invicem differant, quin potius neuter ex iis, qui quali-
tatibus alterius non est præditus existere possit. *Vid. Tho-
mas. tab. pract. 41. n. 3.*

VI. Spinosa est quæstio, quæ de causa efficiente
Majestatis movetur. Quidam putant eandem à Deo con-
ferri Magistratui semper immediatè, ita, ut populus vel civi-
tas ad electionem seu designationem saltim personæ certæ
concurrat; alii autem populum immediatè; Deum
mediatè imperantibus summam illam potestatem tradere
opinan-

opinantur. Quam sententiam & nos defendemus. Vid. pro & contra quæ habet Grot. lib. 1. de J. B. & P. c. 3. §. 8. & seq. ejusdemque commentatores Dn. Osiand. ad l. 2. c. 4. §. 10. & c. 9. §. 11. Dn. Ziegl. ibid. Huberus de Jure civit. l. 1. c. 7. & 8. ubi etiam contra Graswinckelium tract. de Jur. Majest. c. 1. & 2. eruditè disputat. Ut unicum argumentum proferamus: si Majestas planè non esset penes populum, quomodo in interregnò hic illius actus exercere posset. Planè autem non ex hoc principiò sequitur, quod Princeps ob acceptam à populò potestatem eidem subjectus sit, sicut hoc argumentum confutavit D. Dn. Veltbem. Introd. ad Grot. l. 1. c. 3. quest. 8. ac in dissert. nostrà de Principe justè utilitatem suam querente, contra Fernandum Vasquium falsitas ejus sufficienter ostensa est.

VII. Tyrannum existere posse sine dubiò securè hæctenus creditum fuit, reperta tamen jam est sententia illum planè negans, multis rationibus in medium adductis, sed talibus quibus adhuc non adstipulor. Quicumque enim bonas existere Respubl. affirmat, non potest non etiam malas concedere, quippe quod bonitas respectum ad malitiam dicat: Ille verò Tyrannus sit, qui Reipubl. planè non infervit, licet non cumulus omnium vitiorum, quod contingere ferè impossibile est, apud eum resideat. Multò minus dici potest, nullas resp. corruptas dari, sed omnes rectas esse. Nam bonitas, quæ aliàs ipsi essentiæ rei seu subjecto tanquam affectio inest, planè hic non intelligitur, nec ab eâ ad non existentiam Tyranni argumentum duci potest. Fatemur etiam subditos peccare, si Principes suos pro suo statim captu Tyrannos appellent, an propterea Tyranni vocabulum erit non entis? Imo suppetunt viæ contra Tyrannidem certis modis instituendæ. Sed hac de re fusius alio loco in posterum agemus.

IIX. Rectè ut puto ab omnibus Philosophiæ civilis Doctoribus statutum est, Tyrannum esse, qui planè non intendit utilitatem Reipublicæ: sed quomodo huic convenit distinctio, quæ vulgò inter Tyrannum occupatione & exercitio talem habetur. An necessarium est, ut ille, qui occupatione Rempubl. sibi acquisivit, Reip. commodum negligat? An ergò exulabit Pisistratissimus, aut talis species Tyrannidis, quæ quamvis illegitimis mediis parta sit, nihilominus utilitatem Reipubl. laudabiliter considerat? puto utramque quidem Tyrannidem appellari posse, sed toto genere inter se distinctam, ita, ut illa ratione modi acquirendi imperium (nì expressus consensus populi postea accesserit) hæc autem ratione finis vitiosa sit.

IX. Cum de occultis non detur judicandi locus, effectum justum & licitum secundum Moralitatem Politicam, effectusque civiles (vid. *Thomas. Tab. Pract. X. n. 3. * 4.*) fortitur omne id, quod Jure Gentium conceditur. Igitur bellum, quod eodem Jure solenne est, *Grotio de J. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 4.* justum vocatur, tale scilicet quod non solum utrinque autore eo, qui summam potestatem habet, geritur, sed & ritibus quibusdam gaudet. Consimilia his habet *idem lib. 3. c. 7. §. 7.* vid. quæ habet *Dn. Praeses in Diss. Pol. IV. de Soc. Her.* quam ipse defendi §. 5. Qua ex ratione *Fernandi Vasquii* lubricas hac in re sententias planè destruxi §. 40. ac dominicum imperium ad regnum retuli *cit. disp. d. 28. usq; ad 35. poster.*

X. Encomium singularis prudentiæ est, quod *Tacitus Julio Agricola c. 5.* tribuit, eum nunquam in suam famam gestis exultasse, sed semper ad Autorem & Ducem Principem scilicet ut Minister fortunam retulisse. Verum tamen non omnibus planè laudibus Princeps caret, si Ministris sparta demandata feliciter successerit, quippe quod
admo-

admoverit ad illam tales, qui ei præesse debitè ac feliciter poterant.

IIX. RHETORICÆ.

I.

Rhetorica nomen suum sortita est non à *ῥῆω fluo*, ut putant *Theod. Vietor in examine Rhet. p. 2.* & *Jacob. Crenecarpus ad Talem l. 1. c. 1.* ut & multi ex modernis sed à *ῥῆω dico*, vid. *Voss. in Rhet. lib. 1. c. 1.* cum hæc etymologia naturam Rhetorices propriâ voce exprimat.

II. A multis quidem hodiè Neotericis peculiaris systemata oratoriæ conficientibus præcepta antiquorum *Aristotelis, Quintiliani &c.* planè negliguntur, sed minus benè. Videmus enim eos in excitandis ac sedandis affectibus longè esse fideliores, imò feliciores quam illos, qui ab his aberrantes elocutioni præcipuè inserviunt.

III. Oratori permissum est, uti falsis sententiis & audacibus, si modò sint verisimiles, & animos hominum vel astu irrepant, moveantque. *A. Gellius 1. Noct. Attic. c. 4.*

IV. Dicendi genus, quod vulgò Didascalicum vocant, minus rectè genus causarum vocatur, cum non tendat ad Auditores persuadendos, sed potiùs erudiendos, imò non modò ad quæstiones finitas, sed ad ipsas infinitas, & themata simplicia extendatur, judicante *Thomas. Rhet. cap. 2. quest. 21.*

V. Hyperbole non est mendacium, quamvis plus existimet de rebus, quam quod illis inest: quilibet enim mentem ejus percipit, nec per eam falsa sibi imaginari potest.

VI. Oratio sit instar castæ & pudicæ matronæ: nihil ibi fucatum, nihil tumidum & inane.

VII.

VII. Stylus qui nominibus ethnicis, proverbiiis aliisque ex paganismo reservatis utitur, non videtur tam culpandus nostris temporibus, quam olim, ubi propter efflorescentem Christianismum omnino cavendum erat, ne occasio daretur, qua cultus de astrorum veris Christianis prohibitus iterum renovaretur, sed hodie etiam adhuc modus observandus est, ut omne, quod gloriae Dei ac honestati detrahit, evitetur.

IIII. Genus scribendi argutum est, quod in *incriptionibus* consistit. Variæ hujus generis circumferuntur. Sed ex melioribus istæ sunt, quæ non tam verba, quam ipsas res considerant, certasque propositiones modo succincto & acuto exequuntur. Et in hac re quantum ego scio Viros se præstiterunt *Emanuel Tbessauri*, & *Octavius Ferrarius*, quorum hic ob variam eruditionem non per Italiam solum, sed & per totam ferè Europam vivus nuper claruit.

IX. Quæcunque vocabula aut phrasæ stylo Germanico gaudent, orationes exornant longè melius, quam quæ lingvis exoticis originem debent. Sunt tamen quædam ex iis, quæ quia omnibus Germanis cognita sunt, longè facilius, quam quæ noviter pro hujus nostræ vernaculæ idiotismis habita sunt, proponuntur.

X. Ita adhibendæ sunt historiæ, aliæque quæ realitatem sapiunt, ne orator earum explicationi studere videatur magis quam illi, ad quod persuadere Auditores vult. Uti enim dixi, ut affectus moveantur eorum, ad quos fit oratio, primarius scopus Rhetoris est; ne alias ei contingat, quod habetur apud *Sophoclem*; *Orator tu quidem vehementis es, sed ego auditor malus.*

IX. HI-

IX. HISTORICÆ.

I.

Historiarum lectio omnibus utilis est ac necessaria, tam propter imitandos mores ad observanda tempora in vitâ nostrâ, quàm etiam propter jura personarum & rerum publicarum, quæ ex monumentis antiquis addiscuntur. Vid. diss. *Dn. L. Rechenb. de utilitate lect. hist.*

II. Ruina & expugnatio Trojæ, quæ præter Homerum à Dicty Cretensi, Darete Phrygio aliisque describitur, propter varia apud Viros fide dignissimos reperta monumenta, merito in dubium trahi cœpit. Nec ipsi qui hanc historiam affirmant, in recensenda illâ æqualiter procedunt. vid. *Rup. Obs. ad Besold. Syn. Hist.*

III. Non probatur quod multi tradunt, Germanorum primum conditorem fuisse Ascenam nepotem Noæ, quamvis aliqua cognatio inter ejus & nomen Tuisconis reperiatur, videturque præferenda potius sententia eorum quæ à Scythis illos, ac appellationem Tuisconis à Mercuriô, qui eis in terris Teut appellatus fuit, derivant.

IV. Mirum est Scriptores agitari potuisse, unde Julius primus Romanorum Imperator nomen Cæsaris acceperit, cum tamen ex Historicis de ejus vitâ pateat, istud non solùm patris, sed & totius familiæ gentilitium per multos annos ante ejus nativitatem fuisse. vid. *Suet. in Jul. c. 1. & passim.*

V. Ita sunt descripti à classicis atque insequentibus Scriptoribus Imperatores pagani, qui quæ præprimis seculô I. imperio potiti sunt, ut pessimorum Tyrannorum nomine venire possint. Non autem credamus adhuc omnia quæ de iis proferunt. Quæ enim fides Scriptoribus, apud quos nec genuina eorum prænomina reperiuntur;

D

sic

sic v. g. *Galba* Imperator *Servius*, *Otto*, *Silvius* appellatur, cum tamen *Servius Sulpitius*, & *Marcus Salvius* scribi debeant. Quid? quod multa eorum facta v. g. *Tiberii*, *Neronis*, *Ottonis*, *Nymphidii Sabini*, *Præfecti Prætorio* aliorumque non tam crudelia sint uti vulgo putantur. Multos ex coætaneis sine dubiò invidia odiumque novi principatus impulit ut talia scriptis suis infererent. Vid. *Rupert. ad Besold. in Tib.*

VI. Statua *Jrmenseus* Saxonum idolum à Carolò Magnò circa A. C. 775. destructum, de quò variæ historicorum opiniones adsunt, Arminium celebrem illum Saxonum Ducem ut firmæ rationes svadent, denotavit. Fuit autem idolum hoc situm non *Martisburgi* quæ Misniæ oppidum est, sed *Eresburgi* in Westphaliâ, quod oppidum hodiè *Stadtbergen* dicitur, vid. de illâ statuâ belloque Saxonico *Cranzius*, aliique.

VII. Magna Scriptorum dividia est de I. Germanorum Imperatore, quem alii *Carolus Crassus* Ludovici Regis Germaniæ Filium ex lineâ Carolinâ descendantem, alii *Henricum Aucupem* aut *Ottonem I.* Saxones *Conradi I.* successores, alii hunc ipsum *Conradum I.* in libris suis tradunt; ultimæ sententiæ, quamvis & *Ludovicus, Ludovici I. Pii Imperatoris filius*, rectè hoc nomine veniat, calculum nostrum addimus; fuit enim *Conradus* ille primus Dux Franconiæ Orientalis minimè cognatus *Ludovici IV.* (quæ opinio ex minus firmis præsumtionibus nata est) nec officit non accepta coronatio, quo minus ille, ut & qui post eum regnare cepit, *Henricus Auceps* pro Imperatoribus habeantur.

IIIX. Ut enim paulisper de coronatione hac agamus tres fuerunt coronæ imperatoriæ. *Lombardica*, *Regis Germanorum*, & *Imperatoris*, quæ imponi solebant *Mediolani*,

diolani, Aquisgrani aut in aliâ civitate Germanica, & *Rome* sive *Bononia* alioque ad hoc negotium constitutô locô (non *Aquisgrani* pro Galliâ ut vult *Georgius Hornius in orb. polit. imp. I. thes. 8.* rectè propter id à *Dn. L. Menckenio* ad hunc locum reprehensus) ultimam Papa conferebat non ex potestate, sed ut Imperator à supremô sacrorum Antistite inauguraretur. *Lotharius quidem Imperator Saxo*, Papæ plus quam par erat largiebatur, unde secundùm relationem multorum in curiâ Romanâ reperitur adhuc coronatio ejus depicta, adjunctis his versiculis:

*Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,
Post homo fit Pape, recipit quo dante coronam.*

Verum hoc factô Imperatoriæ Majestati nil detrudere potuit, sicut & de versiculis istis, an authentici sint meritô dubitatur. Hoc certi credimus non solùm pactis, sed & observantia dispositum fuisse, ut omnes, qui Germaniæ regno potirentur, eô ipso Italiæ Regis, ac Romanorum Imperatoris titulo ac juribus gauderent.

IX. Majori potestate quidem Imperatores nostri olim quàm hodiè instructi fuerunt, sed nunquam ut puto probari potest successionem puram in imperio viguisse, quamvis id multi asserant. Reperimus enim Principes imperii magnis precibus aliisque quæ persuadere valebant à Cæsaribus fuisse sollicitos, ut Filios eorum summæ rerum præficerent. Quandoque etiam divisio temporibus lineæ Carolinæ, sed regionum saltim, non potestatis Imperatoriæ instituta fuit.

X. *Georgius Hornius orbis politici imperio 2. tb. 8. §. 2.* Turcis nativis omnes honorum gradus in Republ. denegat eosque solis Renegatis sive Christianis Apostatis tribuit, multi que, qui de statu Turcicô scribere ausi fuerunt, hanc sententiam fovent. Sed est commentum.

omni autoritate præstantium Scriptorum carens. Novimus fanè ad dignitatem Magni Vezirii, quæ inter Turcas prima ab Imperatore est, paucissimos admissos fuisse, eos, qui fidei christianæ abjurarunt, (inter quos fuit *Ibrahimus* tempore Solymanni, & *Kara Mustapha Bassa*, si de ejus nativitate relationibus credendum est, paucos ante annos Viennam ignominiosè obsidentes) atque apud illos, qui nativitate Muselmanni sunt, maximo in pretio haberi, uti etiam ad eundem locum *Hornii* annotavit supra laudatus *Dn. Menckenius*.

X. CRITICÆ MISCELLANÆ.

I.

Malignitate omnium rerum, morum præcipuè seculum nostrum scatet, sed nec eadem priora destituta erant. An ergò nostrum illis deterius habendum? non puto.

II. Orationes, quæ in Autoribus classicis *Livio*, *Curtio*, aliisque reperiuntur, an genuinæ veterum Romanorum, Græcorumve Ducum fuerint, meritò dubitatur, propter stylum æqualem, illorumque temporum statum.

III. Experientia testata est, posse educi ex Ægypto Mumias, seu corpora veterum contra putredinem præparata, quamvis non una vice factum, ut Diabolus exportationem illarum impedierit, sicut *Radzivilio Duci* accidisse, ipse in Itinerario suo refert.

IV. Multis fabulis historiam de Phœnice involutam esse, nulli dubitamus. Illam tamen avem existere, *Plin. lib. 10. natural. hist. c. 2. C. Jul. Solinus Polybist. c. 26.*

C. Corn.

C. Corn. Tac. lib. 6. Annal. aliique fide digni Autores svadere videntur. Vid. de hac re *Dn. Pfeiffer. Diss. de Phœnice ave, Regiom. anno 1673. habita.*

V. Tria olim potissimum civilis venerationis genera fuerunt, primum *corporis inclinatio*, secundum *genus flexio*, tertium *omnimoda corporis prostratio*, uti ex Scriptoribus demonstrari potest.

VI. Esavum fuisse monstrum, uti multi putant, mihi non persvadeo, illud enim tantum abest, ut è sacris literis probari possit, quin potius illæ eum nobis describant in tali statu, qui monstris non competit.

VII. Varietatem Lingvarum ex genio diversorum populorum ortam fuisse, in præsentì defendemus. Itaque illæ, non melius quam hoc benè perspecto (quod per peregrinationes fieri solet) cognoscuntur.

IX. Conventus sagarum ad sua sabbata, non negamus planè, nec ex asse concedimus, partim enim potentia Diaboli, partim imaginatio hoc in passu operatur.

IX. Fatalitatem nominibus temporibusque nullam tribuimus, cum Historiæ quæ huc referuntur partim sint incertæ, partim casu, illa quæ recensent, acciderint.

X. Non una persona sed plures fuere, quibus Deorum gentilium, *Jovis, Vulcani, Herculis &c.* nomina imposuit antiquitas fabularum cupida. Vid. *Natal. Comit. Mythol. lib. 1. c. 1.*

FINIS.

Gene-



Generose Nobilissimeque
DN. DE Ritter.

Qua in cineribus Magni ab obitu etiam Parentis Tui intermoritura orbis existimabat, ea Tu praclaris studiis & felicissimâ indole excitare & in vitam revocare tantum abest, ut intermittas, ut omni contentione animi labores potius, non minus Te virtutum ostendere, quam aliarum possessionum heredem. Ut taceam cetera, quibus laudatum jam Semonem referre studes, neminem latet, quemadmodum jam ab illo tempore, quô Academiam hanc ingressus, osor ille quietis animus Tuus Te laudabili ad Paternam metam cursu nunquam remisit, sed regiâ viâ ad paria contendit semper. Primum ne imparatum Te multitudini ostenderes, aut crudi quicquam in publicum propelleres, privatos intra parietes campo, quem impatientius Te expectare interea memini; continuis praeludere placuit exercitiis. Emissus autem quas non
minas

minas spiritus generosioris implevisti? Etenim quamvis omittam, quibus testis oculatus non interfui, satis ille circumfusa multitudinis applausus loquitur, quam strenuum & Prope-
devmatum Moraliū, & alterius de Imperio herili argumenti egeris defensorem, toties inter hac opponentis & sepè extemporanei non sine multa laude functus officio. Sed enim verò in his ad majora nata mens quiescere nondum potuit, nisi & ipsa vires periclitata, aliquid sui Martis in notitiam & aliorum mitteret memoriam. Itaq; materiam TE dignam elegisti, & quibus comodare olim optes, maturè ostensurus Te Principum utilitate binis comendasti dissertationibus, quæ una eademq; die iis successibus habita, ut cum primis de hac Palastra non commilitonum solum, sed & qui suâ presentia splendidissimâ actum hunc tum mirificè augebant, summorum Virorum & doctrina & ingenii referres suffragia. Nunc ne uni doctrinae generi inhaesisse, & quæ præter cetera excoluisti ea sola scire existimeris, hospitem TE in nulla Philosophia novo probas schedi-
asmate & discessurus eodem industriam ob-
gnas Academicam. Quibus conatibus ut sœveta puncta aliorum auguror, ita gratulor ipse Tibi tam generosa mentis, quæ pulchrè
actis

actis non sequiorem imponit coronidem. Tu
verò porrò i, quo Tua TE virtus vocat, &
ea tandem assequere, quibus omne inferius
præmium sit. Ego memor literarii com̄ercii,
moderationis, doctrinæ, capitalisq; & ignei in-
genii Tui, absens mirabor frugem, quam fa-
ctura seges est, quam talem vidi in herba.
Vale. Jena, XXVII. Nov. clc loc XXCVII.

Tuæ Generositati

addictissimus

M. Joh. Jac. Müllerus,
Adj.



Coll. diss. A. 202, misc. 46